

reliquo usque ad Castellum Novum flumine, traductisque  
ripam navibus, ac per campos aquæ plenos ob intersectas  
Athesis ad Lemniacum a Gallis ripas decem millibus pa-  
suum confectis, classem ducentarum navium in Athesim  
ad Caudam vicum incolumem perduxit. deinde prono flu-  
mine ad fossiones Philistinas se se recepit. Aliquot ex ea  
classe naves, quæ quod majores erant aliis, ripam trajice-  
re non potuerant, Mincium se in flumen, deinde Man-  
tuam contulerunt. Expectaverat Paulus legatus per eos  
dies imperatorem, qui jamjamque se affuturum pollicitus  
fuerat, ut una trajecto flumine quo vellet Julius profici-  
sicerentur. Ille vero causis moræ post causas non ita caute  
interpositis, quin falso quæsitæ agnoscerentur, neque se in  
viam dabat, neque suos equites militesque ad illum mit-  
tebat, neque vero etiam Franciscus ab Senatu ad eum  
excitandum missus quidquam proficiebat. quamobrem ne  
a Patribus reprehendi posset, mandata reipublicæ tanta  
de re tam angusto tempore differens, pridie cal. novem-  
brium Paulus Padum exercitum traduxit.

Uno tempore ea de re Julius nuncios accepit, & Fa-  
britius Columna vir egregiæ virtutis, quem Ferdinandus  
Hispaniæ Rex cum trecentis equitibus ex Neapolitanis  
finibus ad Julium mittebat, ut ei auxilio in Ferrarensi  
bello esset, cum expeditioribus ad illum venit, reliquis  
bidui post se intervallo in itinere relictis. quæ duæ res  
ita Julii animum exhilaraverunt, ut febris eum continuo  
reliquerit. Itaque confirmatior factus edictum proposuit,  
quo edicto Gallorum præfecto, qui Magister magnus ap-  
pellabatur, reliquisque Gallis igni & aqua, sacris conce-  
ptis verbis, interdicebatur, si deinceps Alfonsi causam  
ulla ex parte tuerentur: idque impressis publice tabulis  
vulgari jussit. Imperator domi sedens, Paulum legatum  
trajicere admonitus, insesso equo cum suorum paucis ad  
Stellatam vicum, ubi se ille continuerat, totius exerci-  
tus trajectum operiens, ad eum venit, atque una Muti-  
nam versus diem unum omnes processerunt. Ea vero no-  
te quæ est diem illum subsequuta, ab uxore per literas,

ut

*Julii in  
Gallos in-  
terdictum.*